

QK. 371

v. Selmnitz

Ze
5040

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS

ad

Exequias
Adolescentis

X 2123157

*Generosi ac strenui, literis & moribus
excultissimi*

DN. FRIEDMANNI

à SELMNITZ,

in Straußfurth / Behra / Steinburgk &
Krannichborn &c.

VIRI

Generosi, Magnifici & maximè Strenui

DN. ERNESTI FRIEDMANNI

à SELMNITZ, in Straußfurth / Behra /

Steinburgk & Krannichborn &c. Consilarii &

Camerarii Electoralis Saxonici,

Comitatûs Mansfeldensis Inspectoris

gravissimi,

Filii primogeniti, cùm studiorum gratia in hac

Academia degens diem suum beatè obiit,

Cives Academicos

Post 1. pomerid.

invitat.



RECTOR
ACADEMIAE LIPSIBENSIS

Generoso ac Literato, Viri & doctissimo

DR. FRIEDMANNI

3 SEPTIMB. 1717

in Praesentibus, in Conspectu &

Magistri &

1717

Generoso ac Literato, Viri & doctissimo

DR. FRIEDMANNI

3 SEPTIMB. 1717

in Conspectu & Literato, Viri & doctissimo

Magistri &

Generoso ac Literato, Viri & doctissimo

1717

Magistri & Literato, Viri & doctissimo

Generoso ac Literato, Viri & doctissimo

Academico

1717

1717





Nter alias querelas, quibus summo loco natos, quando vitâ functi erant, in populo DEI prosequabantur, erat etiam hoc: O GENEROSE! O GENEROSE! Jer. c. 22.

Quantumvis autem ἐξ ἐνὸς αἵματος i. e. ex uno sanguine sumus omnes, εὐκράτεια tamen σώματος καὶ ψυχῆς i. e. optima corporis & animæ constitutio, quæ nobilitatis scaturigo non nemini videtur, distinctionem aliquam inter homines jamdudum fecisse videtur. Cum quibus amicas manus faciliè jungent, qui virtutem tam togatam, quàm sagatam, literis aut armis, arte aut Marte comparatam nobilitati fundamentum substernunt. Licet enim corpus ipsum virtutis subjectum non sit, instrumentum tamen virtutem sagatam meliùs exercendi esse potest. Quid? quod

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.
Quia verò virtutum semina multoties à Parentibus in sobolem transfunduntur, ita, ut

Fortes creentur fortibus & bonis,
Nobilitas gentis, quæ per majorum dignitatem definitur,

finitur, ortum suum traxit. Non levis enim est præsumptio, ut, quo profundius ab ascendentes in descendentes sanguis derivetur, eò magis etiam ad virtutem inclinationes intendantur. Hinc nobilitas in primo genere sobolescere, in secundo pubescere, in tertio maturescere dicitur: nec ad hastiludia & torneamenta (sic usu ferente) non facilè, nisi quatuor ad minimum in ascendente linea majores nobiles exhibere possint, admittuntur. Non tantùm autem inter Germanos, ubi nobiles in lingua vernacula nomen habent ab aquila bicipiti, cujus defensores sunt, & à qua, tanquam dignitatis fonte, primam suam nobilitatem consecuti fuere, sed & apud antiquissimas gentes alias utraque nobilitas gentis & mentis celebratur. Nominare liceat impræfentiarum Græcos, gentem certè nobilissimam, de quibus κοσμοδιδάσκαλος Aristoteles, quòd & εὐγενεῖς i. e. nobilibus parentibus natos, & γενναίους i. e. Generosos, gente ac mente nobiles habuerint, in Rhetoricis circa convergia secundæ ac tertix Monarchiæ scripsit. Quare, si per mortem crudam genere ac genio, gente ac mente nobiles, in ætatis præsertim vere, cum flores ac gemmas autumnalium fructuum prænuncios protrudunt, extinguuntur, in luctum communem, non sanguinis duntaxat & affinitatis vinculo juncti, sed & boni omnes, dispendium hoc aliùs expedientes, conjiciuntur. Id quod (proh dolor!) experimur, cum Adolescens Generosus, Strenuus, literis & moribus excultissimus, in decus ævi satus & educatus FRIEDMANNUS à SELMNITZ, in Strausfurth / Wehra / Steinburgk / und Kranichborn / postquam in spem egregiam, fore, ut aliquando rebus communibus emolumento evadat insigni, omnes ere-

I. 2. Rhet.
cap. 15.

erexisset, in ætatis flore humanis rebus valedicit, & per beatam analysin ex syrtibus mundanis ad æternæ tranquillitatis portum transfertur. Utut enim luce majorum splendidissimorum fulgesceret, propriâ tamen coruscare, seque verè nobilem publico aliquando sistere maluit, animo suo trabali clavo Juvenalis istud fixum tenens:

*Tota licet veteres exornent undiq; ceræ
Atria: nobilitas sola est atq; unica vitus.*

Hinc etiam, ut exemplis majorum laudatissimorum, quibus vitam & spiritum debebat, sese conformaret, & virtutû culturâ splendorem familiæ suæ indies auget, id sibi curæ, cordiq; esse sivit. Quare fructus per mortem hanc immaturam publico subtractos intuentes, nō immeritò querelam in populo DEI quondam usitatam nostram facimus: Ô GENEROSE! Ô GENEROSE! Verùm quia querelis nostris nihil proficim⁹, supremis poti⁹ Beatissimi à SELMNITZ honoribus velificaturi vitæ cursum breviter quidem, sed laudabiliter & ad exemplum confectum *ως εν συνόψει* delineabimus, & ut posteritati præluceat, Minervæ peplo jam intexemus. Majores Beatissimi nostri tanta in luce à multis seculis fuere positi, ut, si tantùm nobilissimas SELMNITZIORUM & WERTHERORUM familias nominarem, genealogiæ texendæ labore defuncti videremur. Ne tamen, quod solenne hîc est, migremus, & *εν Κλογία* nostri à SELMNITZ Parentes & majores nobilissimos ex paterna & materna linea recensebimus, & sub unum quasi obtutum vocabimus. Dominus Parens Beatissimo nostro, in vivis etiamnum existens, fuit Vir Generosus & maximè Strenuus Dn. ERNESTUS FRIEDMANNUS à SELMNITZ in Straußfurth/ Dehra/ Steinburge

burgk und Krannichborn &c. Consiliarius & Camerarius E-
lectoralis Saxonicus, Comitatus Mansfeldensis Inspector:
Mater quoad pietatem ac virtutes hunc ordinem decentes
veræ nobilitatis speculum ANNA ELISABETHA à
SELMNITZ, ex splendidissima WERTHERORUM
familia nata & nata, filio desideratissimo etiam adhuc su-
perstes: Ex linea paterna *πρωμακαεστη* Avus fuit itidem Ge-
nerosus & maximè Strenuus FRIEDMANNUS à
SELMNITZ, in *Behra/ Henschleben/ Krannichborn/
Alperstadt* &c. in aula Electorali Sax. equitum Magister,
armis & heroicâ virtute adversus infensissimum Christiani
nominis hostem, Turcam, insigniter spectatus: Avia pa-
terna sui sexus & ordinis amussitatum exemplar fuit SO-
PHIA MARIA, Dni. CORNELII à *Miltitz* in *Stein-
burgk & Siebeneichen/* Consilarii Electoralis Saxonici, &
Camerae provincialis Inspectoris, nec non MARIE à
Bretfeld/ ex domo *Elbra* oriundæ filia: Proavus paternus
Generosus & maximè Strenuus FRIEDMANNUS à
SELMNITZ, equitum Magister, in *Westgreussen &
Schönstadt* &c. cujus *συζυγε* fuit nobilissima foemina CA-
THARINA à *Schönfeld/* Dni. ERNESTI à *Schönfeld*
in *Löbnitz* filia, cujus Mater ex antiquissima inter nobiles
harum terrarum familia BÜNAVIORUM in *Dreysig* fuit
prognata: Porro Abavus paternus fuit Generosus & ma-
ximè Strenuus JOHANNES à SELMNITZ in *Bie-
senburgk/* cujus jugalis fuit CATHARINA *Resin/*
si genus paternum spectamus, si maternū, de domo *Brühl:*
Atavus paternus fuit Vir Generosus & maximè Strenuus
HEINRICUS à SELMNITZ in *Biesenburgk/* qui no-
bilissimam ELISABETHAM ULRICI de *Stechtenhain*
in *Gleina/* & Matris à famigeratissima WERTHERO-
RVM

RUM familia, & quidem comitatu *Beichlingen*/ filiam in
matrimonio habuit. Ad lineam maternam si nos conferi-
mus, *πῶς ἐν ἀγίοις* nostro à SELMNITZ avus maternus fuit
Generosissimus & maximè Strenuus Dominus, Dn. GE-
ORGIUS à *Werthern*/ Dominus in Comitatu & Dyna-
stias *Beichlingen/Frohndorff & Thalhelm* &c. Sacrae Caesareae
Majestatis & Imperii Romani Janitor hæreditarius, Con-
siliarius Saxonicus Electoralis intimus, & Curia provincialis
supremæ, quæ Lipsiæ est, Præses eminentissimus,
cujus præclara in domum Saxoniam & hæc conditiones me-
rita, veluti fragrans unguentū etiamnum inter nos spirant,
& vigent: Avia materna super obitū præmaturo Nepotis
primo-geniti & oculissimi summum in mœrorem conjecta
est ipsum veræ nobilitatis nomen & virtutum hunc ordi-
nem illustrantium compendium RACHEL, Dn. HIL-
DEBRANDI ab *Einsiedel in Schweinsburg & Crümmis-
schau*/ & CATHARINÆ de *Schönburg* nobilissimæ è
domo *Stolberg* filia: Proavus maternus fuit Generosissi-
mus & maximè Strenuus Dominus, Dominus JOHAN-
NES à *Werthern*/ Dominus in *Beichlingen/Frohndorff &
Bücken* &c. Sacrae Caesareae Majestatis & Imperii Romani
Janitor hæreditarius, Consiliarius Electoralis Saxonicus
& Camerae provincialis Inspector, qui collateralem ha-
buit genere non minus, quàm virtutibus raris insignem ac
præcellentem ANNAM, Domini JOHANNIS à *Po-
nickau in Pomsen* &c. Camerae Electorali Saxonice à consiliis,
& MARGARITÆ ab *Held* filiam: Abavus maternus fuit
Generosissimus & maximè Strenuus Dominus, Dominus
GEORGIUS à *Werthern* è Dynastia *Wise*/ S. Caesareae
Majestatis & Imperii Romani Janitor hæreditarius, Con-
siliarius Electoralis Saxonicus & Dicasterii provincialis su-
premi

Ze 5040
premi, quod Lipsiæ est, Assessor gravissimus, cui costa
fuit piæ nobilitatis icon CATHARINA WOLFF-
GANGL à Brandenstein in Spöher filia, & huic mater è
CARLWITZIORUM domo nata; Maternus deniq;
atavus fuit Generosissimus & maximè Strenuus Dominus,
Dominus JOHANNES à Werthern / Sacræ Cæsareæ
Majestatis & Imperii Romani Janitor hæreditarius in
Dynastiis Bihe & Frondorff / Præsulatus Halberstadiensis
Capitaneus, cujus in contubernio fuit ANNA Dn. HEIN-
RICI à Miltz in Scharffenberg & ELISABETHÆ de
domo antiquissima SCHÖNBERGIORUM filia. Pa-
rentibus & majoribus hisce laudatissimis ortum suum,
ὁ ἐνευφημία noster debuit, à quibus in hanc lucem Vinarie
ipsis Idibus Novembris anno 1648. elegantiforma &
concinno membrorum omnium positu editus & quarto
Calen. Decembris, præsentibus Principibus, Comitibus &
excelso loco natis sponsoribus aliis nomine stemmatis hujus
hæreditario, & temporis, quo pax Imperio S. Romano
post tot annorum tempestates turbulentissimas erat restituta,
μνημονικῶ FRIEDMANNI libro gratiæ fuit insertus.
Arbori vitæ sic implantatum Parentes *εὐσεργότατοι* DEO ter
Opt. Max. ut adultior factus pietatis & virtutum hunc
ordinem decentium incrementa indies sumeret, vas salu-
tare communibus rebus evaderet, & fidei finem tandem
consequeretur, precib⁹ ardentissimis commendarunt. Cùm
v. jam balbutire inciperet, à teneris, quod ajunt, unguicu-
lis Christianismi fundamenta per Dn. JOHANNEM
SOMMERUM Pastorem in Behra & Henschleben vir-
tutibus reliquis substraverunt. Sexennem, bonæ men-
tis igniculis & ingenii divini stricturis certatim emicanti-
bus, accedente præsertim *φιλομαθεία* rarâ, informationi
Dn.

DM

Dn. TOBIÆ Mühlschteinis Quæstoris in Strausfurth cre-
diderunt, sub cujus fideli manu ductione in fundamenta-
libus veræ & orthodoxæ religionis Evangelicæ, nec non
utrâque linguâ, Latina & Græca, Philosophiæ ansis, ea fuit
emensus spacia, ut Parentibus & sanguine sibi junctis sin-
gulari gaudio, aliis admirationi fuerit. Non tantum e-
nim Autores Clasficos legendo & imitando familiares sibi
reddidit, sed etiam ex vivo memoriæ penu paginas inte-
gras in iisdem contentas depromere potuit. Ex quo
gradatim ad altiora perrexit, donec anno ætatis 13. ante-
quam adhuc ex ephebis excederet, Logicæ, Rhetoricæ,
Ethicæ ac Politicæ præclaram operam navaverit, & inde
studio Historico, quod vitæ humanæ speculum nove-
rat, & tenerius semper complexus fuerat, se totum dederit.
Id ipsum observationes morales & Politicas instar apis se-
dulæ colligendo, ac mellificia componendo, in succum ac
sanguinem convertere studuit. Utque in politica con-
versatione solidaretur magis, à Dno Parente comes itine-
rum, utpote Darmstadium anno 1661. ad exequias Cel-
sissimi Principis GEORGII, Hassiæ Landgravii, quibus
Electoralis nomine Parens Generosus intererat, & Dres-
dam ad nuptias Electoralis Filix Illustrissimæ anno 1662.
jungebatur. Emissiis ibidem oculis solennitates omnes
notavit, easdem memoriæ partim vivacissimæ mandavit,
in codicillis partim consignavit, ut, si maturior annis in re-
giones exteras aliquando excurreret, usui sibi essent. Su-
perstructurus ulterius fundamentis studiorum domi probè
jactis anno 1664. nundinis vernalibus in hanc Academiam
sub ephoria Dni. JOHANNIS WESTPHALI, Juris
utriusque Candidati, velut ad mercatum bonarum litera-
rum

B

rum

rum missus fuit, ubi jacturam nullius rei, quàm temporis
majorem existimans verus illud, DIC CUR HIC, & sibi
dictum putavit, ac proinde juxta pietatis exercitia quoti-
diana Philosophiæ ac Philologiæ studio totus incubuit,
Collegiis etiam Historico-Politicis Dn. CHRISTIANI
FRIDERICI FRANCKENSTEINII, Prof. Publici
benè merentissimi sedulus interfuit, studii juridici telam
orsurus, nisi mors præpropere vitæ filum nimis maturè
præscidisset. In his Academicis suis studiis, ut etiam ab in-
eunte ætate, quò votis & expectationi Parentum carissi-
morum responderet, nec pondus inutile terræ, sed rebus
communibus utilis ac salutaris esset, scopum sibi præfixit.
In vita reliqua, quo DEO suo sese obstrictum sentiebat, of-
ficiam satis luculenter probavit; sacra Biblia non semel à
capite ad calcè perlegendo evoluit, precibus indefessis va-
cavit, congregationibus sacris nexu indivulso adhæsit, in-
firmitates suas agnovit, Eucharistiæ usu frequenti fidem
titubantem roboravit, radios ejusdem per opera charitatis
emisit, & sic utroque pede ad candidam metam, quam no-
bis cœlestis exhibet vocatio, contendit. Parentibus &
Aviæ nobilissimis, quo par est, honore filiali nunquam
non assurrexit, cum fratribus atque sororibus suaviter vi-
xit, ad nutum Præceptorum suorum sese composuit, Domi-
nis Professoribus omnem reverentiam exhibuit, cum qui-
bùsvis, commensalibus præsertim, & quorum conversatio-
ne gaudebat, condescendit. Quanquam autem, qui Ne-
storeos annos viveret, dignus fuerit; DEO tamen vitæ
ac mortis arbitro maturiùs eum perficere, futurisque for-
san calamitatibus publicum involuturis subtrahere voluit.
Secundo quippe Januarii mensis proximè præterlapsi,
horis

horis antelucanis pejusculè habere, cùm somno difficili & calore quadantenus conflagrare cœpit. Unde commotus Dn. Ephorus Medicum Dn. D. GODOFREDUM WELSCHIUM, Prof. P. benè merentissimum & Practicum nominatissimum, meliùs esse prævenire, quàm præveniri ratus, in tempore consuluit. Licet autem initia se darent mitiora, spes etiam τὸν μακαρίτην, quòd à variolis grassantibus, ex quibus olim laboraverat, nihil sibi metuendum sit periculi, foveret, medicamentis tamen preciosissimis cordialibus & Bezoardicis in omnem eventum iisdem itum fuit obviam. Sequenti die, qui tertius erat Januarii, sensim efflorescere variolæ cœperunt, ipso tamen Beatissimo à SELMNITZ in optima quævis erecto, fore nubeculam citò transituram, ut etiam lecto affigi vix ac ne vix quidem potuerit. Usu medicamentorum selectissimorum & providà curâ variolæ jam maturescentes morbo colophonem imponere videbantur & pristinae sanitatis restitutionem pollicebantur, in quo statu Parentes nobilissimi, qui tunc præsentes aderant, die sexto ab initio morbi decumbentem invenerunt. Sequenti die 7. ac critico mutatio in deterius haut exigua viribus decreascentibus, ἀγερπνία magis invalescente comparuit. Prævidens inde Beatissimus à SELMNITZ, instare fatalem horam, ἐυθανασίας specimina multa edidit, & vanitatem seculi vanissimam detestatus ἢ ἀνώτερα καλλιῶ gemitibus intimis anhelavit. Informatori quondam suo Dno. Mühlstein/ & per hunc internuncium Parentibus carissimis pro beneficiis omnibus gratias egit, de sepultura corporis ordinavit, editâ peccatorum confessione, viatico sacro ad beatam ex corporis domicilio emigrationem se instrui curavit,

ravit, sequē precibus ardentissimis voluntati Salvatoris, in quo delicias suas omnes quærebat, totum resignavit. Voti sui compos evasit ab insultu morbi primo die nono, Januarii sc. decimo, cum anno ætatis decimo sexto, bimestri spacio & biduo in hac scena mundana laudabiliter compelit, inter preces adstantium beatam animulam in manus Salvatoris exhalavit. Non quàm diu, sed quàm benè, trito circumfertur proverbio. Beatus noster à SELMNITZ exiguum quidem sibi circumscriptum vitæ stadium citò decurrit, sed sapientiæ canis fulgens, & jucundissimam sui memoriam posteritati relinquens, diu satis vixit. Jacturam non ipse, sed nos hâc immaturâ morte patimur, Carolinum istud ingeminantes:

*Tu patriam repetis, tristi nos Orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lachrymosa dies.*

Permutationem hanc inæstimabilem τὸ μακαρίτην gratulantes, exuvias, Sp. S. templum, dormitorio suo in æde Thomæ post auditam I. pomeridianam inferemus. Concorpores autem Academiæ, ut fragilitatis humanæ memores, & ut honoratissimis SELMNITZIORUM & WERTHERORUM familiis συµπαθεῖαν suam declarent, frequentes in funus nobiscum procedere jubemus.

P. P. VII. Id. Martii anno
M DC LXXV.

LITERIS VVITTIGAVIANIS.

QK 321 18

v. S

REC ACADEMIÆ

Exec
Adole

*Generosi ac strenui,
excult*

DN. FRIED à SELM

in Straußfurth / Beh
Krannichbo
V I B

Generosi, Magnifici &

Dn. ERNESTI F à SELMNITZ, in S



Steinburgk & Krannichb
Camerarii Elector
Comitatûs Mansfelde

gravisat
Fili primogeniti, cum stu
Academia degens diem

Cives Acad

Post l. pom
invitat

